

Quest'anno la giornata della lingua latina cade a pochi giorni dalla scomparsa di Antonio La Penna, insigne maestro di molte generazioni. Al suo ricordo la nostra associazione dedica questo  
*dies Latini sermonis MMXXIV.*

**Antonio La Penna**  
**Vitā functo**

*Valete, Manes incliti magistri. Vale, doctor probe, quem historia literarumque studium nobilem fecerunt gloriāque donaverunt perenni. Si superstitem honor functos iuvat, accipe maestum venerationis nostrae cultum. O aurea mens viri doctrinae aevique pari firmitate gravis, cui pulchra senecta assiduae vitae congrua meta fuit, vale. Sedes sepulcri servet cinerem immotum, memoria vivat nominis. Tu studiis liberalibus sedulaeque docendi curae vixisti, nos autem tua fama iuvare non desinit. Quiesce placidus, magister atque caduci corporis iacturam quā dignus es gloriā repende.*

Considerate la vostra semenza:  
fatti non foste a viver come bruti,  
ma per seguir virtute e canoscenza  
(Dante, Inf. 26, 118-120)

*Omnis homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant veluti pecora, quae natura prona atque ventri oboedientia finxit. Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est: animi imperio, corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum dis, alterum cum beluis commune est. Quo mihi rectius videtur ingeni quam virium opibus gloriam quaerere et, quoniam vita ipsa qua fruimur brevis est, memoriam nostri quam maxime longam efficere. Nam divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est, virtus clara aeternaque habetur.*

(Sallustii de coniuratione Catilinae liber, 1)

*Poteris in inferiora quae sunt bruta degenerare; poteris in superiora quae sunt divina ex tui animi sententia regenerari. [...] Invadat animum sacra quaedam ambitio ut mediocribus non contenti anhelemus ad summa, adque illa (quando possumus si volumus) consequenda totis viribus enitamur.*

(Ioannis Pici, Mirandulae Concordiaque comitis, Oratio de hominis dignitate)